

vit Deus immortalis virtutem tuam rebus arduis admovere, dum intervallo temporis modico tyranni Byzantini robur universum, totiusque Asiæ ac Orientis vires, in Dacia tibi objecit: ubi fortissimos viros non paucos ac veluti florem regni aut deletum aut vinculis traditum nobilissima victoria ita ultus es, ut rebus adeo præcipitantibus, interque fluctus bellorum maximos, tanquam sidus quoddam salutare tempestates omnes depuleris & devictoris gentium barbararum ac liberatoris Republicæ Christianæ titulum vel invidia fatente tibi acquisiveris? Quam fortiter turbantes iterum Moscos ejusdem divinitatis instinctu, patientia laborum eadem, ad Borysthenem non ita diu aggressus es? quam ex præceptis scientiæ militaris longe lateque agros illorum cæde, flammis & terrore, misso leviori equitatu pervasisti? qua diligentia hiberna tua contra eruptiones hostiles, annonæ difficultatem, injuriam hiemis asperrimæ, **secura** præstitisti? quanta dexteritate hostes obsidioni Smolenscij intentos custodijs castrorum inclusisti, intraque se furentes ac rerum omnium egenos pacem petere, seque ac signa sua & belli apparatus universum voluntati tuæ exponere coegisti, nomenque adeo omne Moscoviticum semel domuisti? Quam clementer autem tantis successibus usus, insultare capitibus supplicum noluisti; sed vitam miseris ac famam liberalitate eximia remisisti: non omnium modo cum quibus unquam præliis decertasti hostium victor, verum & sic victor tui, victoris gloriosissimi? Quanti ponderis bellum, Turcis etiam res novas rursus molientibus, solo adventus tui rumore stitisti, sepelivisti? Quoties aut Tartaros mouentes, aut tumultuantes Russos, aut consistentes cis Pontum Euxinum milites, odio desidiæ ac languoris haud raro inquietiores, vel armis, vel auctoritate nominis tui ad quietem & modestiam compulisti? Quanta cum

salu